

05

A

2290





Ex Ethicâ
de
Virtutibus Homiliticis,
Duce Deo & Preside
M. MICHAELE WENDELERO,
Facult. Philos. Adjuncto,
JODOCUS VVILLICHIUS
Prettinensis Saxo
publicè disputabit
ad diem 24. Novemb horis antemeridianis
In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.
Anno M DC XXXVIII.

Prooemium.

Quod caret alternâ requie, durable non est, inquit Ori-
dius. Ita Deus noctem & diem creavit, ut quies labo-
rem, & labor quietem exciperet. Pari modo in consuetudi-
ne vite, sermonumq; ac factorum communionem, ne laboribus,
doloribus & curis contabescat natura, sepe adhibenda est de-
lectatio. Consistit hæc vel in Serio, vel Jocosum, vel Vero.
Delectamur, ubi linguam compescimus, & jucunda proferi-
mus. Lingua ergo sedulam adhibeamus culturam, ne bellua,
à quâ homo non differt, nisi probe sermonem discat, naturam
induamus. Delectamur, sales in convivio interspargendo.
Natura enim finxit hominem, ut esset salsus, urbanus, facetus-
que narrator. Tandem ut delectemur cavendum, ne nobis
concredita eliminando veracitatem ledamus, adeoq; vitam
amaram reddamus. Quod certe iniquum, cum non sit fas
alteri facere, quod tibi non velis fieri. In his omnibus ne
delinquamus, præsens disputatio monet. Serium dirigit Affa-
bilitas, Jocosum Urbanitas, Verum Veracitas.

Membrum primum

De

COMITATE,

Præcepta.

1. Comitas est virtus moralis, quæ servat mediocrita-
tem circa conversationem seriam.
2. Ejus extrema sunt Assentatio & Morositas.
3. Assentatio est vitium morale, quod in excessu pec-
cat circa seriam conversationem.
4. Morositas est vitium morale, quod in defectu pec-
cat circa seriam conversationem.

A 2

Expli-

Explicationes.

1. §. Sequuntur virtutes, quas vulgò vocant Homilíticas ab ὁμιλεῖν, quasi dicas *virtutes conversatrices*. Nam nobis monstrant, quo pacto in quotidianâ vita possimus conversari, tum quoad sermonem, tum quoad mores, ne ullum offendamus, sed omnibus potius grati, accepti & jucundi existamus. Hocque maximè est hominis, tanquam animalis politici, omni studio providere, ne hanc civilem societatem violet.

2. §. Tres harum virtutum recensentur, ratione finis, quem spectant, distinguendæ: Prima attendit ἀληθές h. e. id, quod in sermone & actione est verum, diciturque *VERITAS* seu *VERACITAS*. Reliquæ perpendunt τὸ ἡδύ id est, jucundum: idq; vel in conversatione seriâ, ut *COMITAS*: vel in jocosâ, ut *URBANITAS*.

3. §. A Comitatus initium facimus. Comitatus, ut vult Festus, à Græco κόσμιος. Ejus Synonyma Humanitas, Familiaritas, Affabilitas, in principibus dici potest Popularitas. Sumitur dupliciter: 1. pro naturali quodam, ad observanda ea, quæ obijciuntur, inclinatione & promptitudine. 2. Pro habitu virtutis circa sermonis communicationem decenter occupato.

4. §. Objectum est geminum: *Internum* atque *Externum*. Internum sunt voluptates & dolores animi, qui ex rebus seriis in quotidianâ hominis conversatione existunt. Externum communicatio sermonis & actionum in quotidianis congressibus delectantium.

5. §. Viri comis officium sequentes quatuor evolvunt observationes: 1. De oratione, ut sua conversatio tam in sermone, quam in moribus & factis existat aliis grata & jucunda, ita tamen, ut simul attendat honestatem atque utilitatem tam suam, quam eorum, cum quibus conversatur. Itaque tantum ea, quæ honestè & utiliter possunt & debent laudari, laudat & probat. 2. Ubi aliorum dicta & facta non poterit approbare ob dedecus quoddam & damnum, illos amicè admoneat, quamvis sciat, inde offensionem oriri. 3. In congressibus personas observabit, ut singulis pro dignitate, statu ac conditione tribuat id, quod ipsis maximè convenit. Erga Magistratum sit modestus, erga præstantiores officiosus, erga pares familiaris,

miliaris, erga inferiores popularis, erga notos liberior, erga igno-
tos cautior. 4. In conversatione non tantum presentem voluptatem
& molestiam, sed magis subsistentiam respiciet. Itaque quamvis
presens castigatio molestiam adferat, non tamen intermittenda
ob futuram utilitatem.

6. §. Vitium in excessu dicitur *BLANDITIA* seu *BLAN-
DITIÆ*, hoc est nimium placendi studium. Blandi in eo peccant,
quod, aliorum offensiones metuentes, nimium sese accommodent,
&, seu bene, seu male agant, ad quavis connivent. Simile est hoc vi-
tium Adulationi, à qua tamen differt, quia adulatores commodi
gratiâ aliis placere student: id non est blandorum, qui aliis placere,
neminemque offendere cupiunt.

7. §. Morosi præter modum & rationem nemini ne in hone-
stis quidem rebus & actionibus placere volunt, sed omnia alio-
rum dicta & facta, quamvis bona, improbant & suggillant.

QUESTIONES.

Questio Prima.

Num virtutes Homiliticæ in Virtutum nu-
mero sint habendæ?

1. §. Virtutes virtutibus esse eminentiores est notum. Homili-
ticæ quamvis reliquis cedant eminentiâ & præstantiâ, iis tamen suâ
formalitate & utilitate æquipollent. Imprimis ubi considerantur
respectu subjecti atque aliarum circumstantiarum. Nam ad sanita-
tem tum animi, tum corporis ob magnam recreationem, quam
semper adferunt, insigniter profunt.

2. §. Has reliquis formalitate suâ æquipollere virtutis definitio,
forma, extrema, usus & finis satis demonstrant. Tria priora ex
thesibus manifesta. Usus Homiliticarum est maximus, imò fere
major, quam reliquarum virtutum, exceptâ Temperantiâ & Justitiâ
universali.

Questio Secunda.

Num Comitas cum Gravitate confi-
stere queat?

1. §. Qui gravitatem ex vultus torvitate & morum severitate

metiuntur, quæstionem negabunt. Nos autem non sic, quia sci-
mus, gravitatem non in morum asperitate consistere, sed in aptâ &
decorâ gestuum externorum moderatione. Confundunt gravi-
tatem cum morositate, quæ cum humanitate pugnat, non illa.

2. §. Gravi nihil detrahitur, ut ut sit affabilis & comis, sed po-
tius ei gratiam & favorem conciliat, uti experientia, rerum omni-
um magistra, docet. Nihil dicam, quod Gravitatis cum Comitatu
conjuncta fiat illustrior, majoremq; dignitatem homini addat.
Cicero amicum suum Atticum commendaturus, inquit, ejus Co-
mitatem severitate conditam, & gravitatem cum facilitate esse
conjunctam.

Questio Tertia.

**An ij, qui in conversatione se accommodant lo-
cis, temporibus & personis, rectè Politici
dici mereantur?**

Politicus ille dici meretur, qui omnes Reipub. tractandæ vias
tenet, ejusdem naturam intimè novit, civitatis salutem & felicitatem
honestâ ratione ac legitimis mediis procurare didicit. Hæc
requisita, quia in illo, qui comiter & amicè cum hominibus con-
versatur, omnibus sese accommodat, simulare ac dissimulare edo-
ctus, nullo modo adsunt, Politicus non est dicendus. Non enim
principaliter Reipublicæ commodum & salutem quærit. Igitur
non Politicum, sed politum vocabis, quia hæc accommodatio non
Politica, sed Ethica est.

Questio Quarta.

**An factum Monachorum Carthusianorum, neq;
se invicem salutantium, neq; alios alloquentium,
sed signis & nutu omnia peragentium, sit
licitum, & cum Comitatu con-
sistere queat?**

Negamus ob sequentes rationes: 1. Quia talis cum aliis nul-
lam familiaritatem, ad quam à naturâ conditus, colit: imò naturæ
bellum indicit, dum sermonis usum, tanquam amicitiae & societatis

vin-

Vinculum, à natura unicuique inditum, cohibet. 2. Comitatu re-
pugnat, quia in dictis non est blandus & facilis. 3. Aliis consilio &
salutaribus monitis succurrere nequit, cum tamen hoc ab omnibus
Christianis Charitas maximè requirat. Hinc sermo à Salomone,
opportunus dicitur optimus, id est, ejusmodi, qui suo tempore &
loco pro convenienti personarum & rerum ratione profertur.

Questio Quinta.

**Utrum liceat conversari cum infidelibus
aut hæreticis?**

1. §. Distinguimus inter Spiritualem & Politicam conversatio-
nem: Prior, concernens religionem, illicita proclamatur, quia
in spiritualibus commercia cum infidelibus ita sunt prohibita, ut
nullo modo eorum fidem & religionem approbemus. *Non inibis
fœdus cum Cananeis, Exod. 23. v. 32. Nolite ducere jugum cum im-
piis 2. ad Corinth. 6. v. 14. Hæreticum hominem post unam & secun-
dam correctionem evita. sciens, quia subversus est, Tit. 3, v. 11.*

2. §. Esse hanc conversationem vitandam, ostendunt exempla
regum Judæorum, quos, quando cunque cum Regibus Idololatricis
coluerunt amicitiam, Deo summè displicuisse legimus 2. Par. 16,
v. 7: c. 19, v. 2. Itaque si cum impiis fœdus sanciens iram
Dei in se derivat, sequitur, conversationem cum diversæ religionis
hominibus nullo modo esse approbandam.

3. §. Idem suadet ratio. Fidelium & infidelium animi non con-
cordant in religione & fide: Ergò conversatio horum non est tu-
ta & licita. Major patet, quia illa amicitia est vera, quam Dei ti-
mor & doctrinarum sacrarum studia pariunt.

4. §. Politica verò respiciens cibum, potum, contractus &
commercium, ad vitam hanc temporalem pertinentia, licita est. Ca-
vendum tamen est, ne cum aperte sceleratis & blasphemis publicè
conversemur. Nam hæc familiaritas inter ejusdem fidei socios
prohibetur ab Apostolo 1. Corinth. 5, v. 12. & 2. Thes. 3, v. 14.
Deinde Politica amicitia iis, qui non sunt nostræ religionis, non
temerè offeratur. Sic Christus invitatus à Pharisæis comparuit.
Denique hæc amicitia tantum ad aras sese extendit, h. e. quamdiu
absque scandalo aut conscientie vulnere cum his conversari licet.

Vale

Valet hic Apostoli 1. Cor. 10, v. 31. regula : *Omnia ad gloriam Dei facite.*

Questio Sexta.

**Utrum fidelis infidelium sacris interesse
licite possit?**

Actiones finibus esse discernendas regula est Philosophica. Igitur & ad hoc quaesitum, ubi distinctae causae & fines dantur, distincte respondendum est. Qui ritus supersticiosos ex quadam animi levitate, temeritate & hypocrisi adit, vel etiam cum periculo seductionis & scandali, male facit. Si vero urgeat necessitas, hoc factum simpliciter in se non est illicitum. Probant hoc exempla, Sanctorum, Zachariae, Elisabethae, Mariae, Discipulorum Christi, qui, necessitate urgente, sacris Judaeorum interfuerunt. Pari ratione hodie Papistarum templa ingredi possumus, ut de eorum abominationibus interrogati *ἀντίπαι* testari possimus. Facit huc exemplum Pauli Act. 17, v. 13.

Membrum secundum

de

VERACITATE,

Præcepta.

1. Veracitas est virtus moralis, quæ servat mediocritatem circa verum.
2. Ejus extrema sunt: Arrogantia & Dissimulatio.
3. Arrogantia est vitium morale, quod in excessu peccat circa verum.
4. Dissimulatio est vitium morale, quod in defectu peccat circa verum.

Explicationes

1. §. Veracitas denominatur à Veritate, quæ rursus à vero, quod est solidum, sincerum, non fucatum. Græcis *ἀλήθεια* ab *α* & *λαθεῖν* latere, quasi *ὀυ λαιθάνουσα*. Veritas enim quamvis prematur, non tamen opprimi & perpetuo occultari potest. Nota Veritatem
& Vera-

& Veracitatem nobis hinc esse æquipollentia, adeoque quoad significationem inter sese non differre.

2. §. Hoc vocabulum multis sumitur modis: 1. Quædam Veritas est in essendo, quæ dicitur *Transcendentalis*, *Metaphysica*, Veritas rei, quando res ipsa in se habet suum esse, quod habere debet. 2. Alia est in *cognoscendo*, quæ dicitur *Veritas cognitionis*, seu vera rei cognitio. 3. Alia in *significando* & *representando*, quæ est in vocibus, nominibus, signis, literis & scripturâ. 4. Alia est in sermone & actionibus civilibus, quæ vocatur *Veritas Ethica* seu *Moralis*. Hæc accipitur vel *impropriè*, pro fide in pactis servanda, vel *propriè*, pro virtutis habitu, per quem in conversationibus quotidianis voluntatem nostram, & ex voluntate promanantes sermones, gestus, & actiones ita moderamus, ut habeant in se imaginem cogitationum atq; affectuum. Hæc acceptio est hujus loci. *Æquipollentia* sunt, integritas, Candor, Sinceritas, Veriloquium.

§. 3. Objectum est Verum, quod in sermone, verbis, actionibus, moribus, gestu corporis, totaque vitâ considerari solet, ita ut in illis nihil fictum & falsum, hoc est, notat convenientiam cordis & oris. Nam quando factum aliquod nobis notum est, tunc illud & æquâ mente ponderandum, & ex corde proferendum, ut in sermone sit consensus facti, oris & cordis.

4 §. Vir verax, inquit Philosophus, oportet sit *ἐπιεικής* hoc est *bonus* & *justus*, qui solius virtutis amore de rebus id affirmat, quod sunt, nihil addendo aut detrahendo. 2. *ἀυθιμάτος*, hoc est *in singulis dictis* & *factis sibi similis*, nihil in gratiam alterius fingens aut simulans. 3. *ἐλαττωτικὸς* hoc est *sua non jactans*, magisq; ad sua extenuanda, quàm amplificanda, pronus. Nam extenuatio est signum modestiæ, amplificatio injustitiæ majora sibi tribuentis, plura aliis detrahentis.

5. §. Porro, cum Veritas dirigatur à Prudentia, Vir bonus ita debet esse verax, ut simul sit prudens. Nam verax non semper & ubiq; sine omni discrimine dicere tenetur id, quod in re ipsâ est, sed decenter & prudenter id exequitur, ubi necessarium est, & honestas id requirit. Ideoque circumstantias personarum, loci, temporis, aliarumq; rerum contempletur. adhibitâ in consilium Prudentiâ.

6 §. Hic Paragraphus ut melius intelligatur, instar Canonum seu Corollariorum sequentia apponimus.

B

1. Ve.

I. *Verax non semper tenetur verum dicere, si maximè teneatur partem veri dicere* Nam contingit sæpe, ut non sit consultum, & prudentia obstat, omnem veritatem eloqui. Iccirco ut vitetur mendacium, saltem pars veri est dicenda. Ita Abrahamus à Pharaone & Abimelecho de uxore suâ interrogatus, respondit, eam esse suam sororem. Hic partem veri dicebat, quia habebant communem avum. Partem autem veri, videlicet quòd sit uxor, sine mendacij culpa reticebat.

7. §. *II Verax in dicendâ Veritate non debet violare leges Taciturnitatis.* Ergò verum illud non tenemur dicere, ad quod tacendum vel conscientia, vel leges nos obligant: ut si quis Consiliarium, quid in Senatu fuerit conclusum, roget, interroganti responsionem deneget, vel orationem aliò stectat, quia hujus veritatis manifestatio cum periculo & damno Reipubl. est conjuncta, & cum Taciturnitate, Juramento & Conscientiâ pugnat.

8. §. *III. Verum tunc est dicendum, ubi sumus obligati & ad dicendum, & ad rem dicendam, & ad eos, quibus verum dicendum est.* Hoc certè constat, nostrarum partium non esse, omnibus verum dicere, ut patet ex præcedenti exemplo. Sic non sumus obligati ad stratagemata hostibus detegenda, vel fidem hominibus ebriis & furiosis reddendam. Ita enim porcis gemmas projiceres. E contrario adstricti sumus ad confessionem fidei nostræ apertè proferrandam coram iis omnibus, qui id legitimo modo à nobis postulant. Probant hoc dicta Matth. 10, v 33: 1. Petr. 3, v. 15.

9. §. *Præter hos Canones notabis hîc: (1) aliud esse diversum, quid dicere à veritate, & aliud contrarium veritati dicere.* Nonnunquam nostra responsio est indirecta, vel diversa ab eo, quod queritur. Hoc ubi fit, veritas non profertur. Interim neq; mendacium oritur, cum licitum sit ambiguè respondere, quia non semper tenemur apertè dicere. Tunc autem ubi sumus obligati ad verum proferrendum, veritas omnes odit perplexitates. Sermo ergò hic est à veritate diversus. Contrarius. ubi mendacium committitur. (2) *Aliud esse, falsum dicere, aliud mentiri.* Nam non omnis, qui falsa dicit, mentitur, quia falsitas rem ipsam, mentiri respicit propositum fallendî, quod est virtuti morali contrarium: v. g. si quis nova ab aliis vel scripta vel nuncia a aliis narret, veraque esse putet, quantumvis falsa, falsa dicit, sed non mentitur.

Vera-

10. §. Veracitatis oppositum est, vel *generale*, vel *speciale*. Generale est mendacium. Hoc dicitur vel *proprie* vel *improprie*. Improprie dictum est vel *officiosum* vel *jocosum*. Officiosum est occultatio, quâ ob honestam causam & alterius utilitatem tegitur aliquid, quod dicere non est necessarium, & cujus spontanea manifestatio existit peccatum. Hujus loci sunt, exempla Obstetricum Ægypti, Exod. 1, v. 17: Abrahami, Gen: 12, v. 19, & 20, v. 2: Jacobi, Gen: 27, v. 19: Josephi, Gen: 42, v. 7: Jonathæ 1. Sam: 20, v. 28. Jocosum est falsum dictum, quo sine studio nocendi in conversationibus utimur: ut sunt Fabulæ Poetarum, allegoriæ, apologi &c.

11. §. Mendacium proprie dictum est perniciosum seu vitium, quo ex levitate ingenij & pravitate cordis cum voluntate nocendi dicimus id, quod falsum esse scimus, vel quod dici debuit, depravamus. Hujus causa principalis est Diabolus: Propinqua mentis & judicij errores, ut & voluntas humana. Requisita sunt, ut falsum proferatur, ut fiat duplici corde, ut in alterius perniciem cedat, ut prolatio veri contrarij sit justa, utilisque. Hinc hoc Corollarium: *Non quavis falsi prolationem statim esse mendacem, neq; quamvis veri occultationem esse culpabilem.*

12. §. Speciale consideratur vel ratione excessûs, vel ratione defectûs: illud committitur mendacium affirmando, auditque *Arrogantia*; hoc mendaciter negando, diciturq; *Dissimulatio*. Arrogantia ea, quæ non habet, vel plura & majora, quàm habet, sibi arrogat. Alias vocatur jactantia, vanitas, ostentatio. Duo sunt hoc vitio laborantium genera: Quidam ea sibi vendicant, quæ planè non possident, vel majora, quàm possident delectationis gratiâ ob defectum aliorum, à quibus laudentur. Hi non mali, sed stolidi sunt, quia non aliis, sed sibi metipsis hâc vanâ prædicatione nocent, dum fidem amittunt. Nonnulli alterius gratiâ id faciunt, quòd sperant ex ejusmodi jactantiâ commodum, gloriam aut quæstum.

13. §. Dissimulatio ea, quæ adsunt, vel negat, vel extenuat. Et hîc duplex hominum genus: Quidam dissimulant ea, quæ aliis incognita sunt: Hoc si fit modestiæ causâ, non merentur accusationem: si invidiæ, reprehensionem incurrunt. Deus enim vult, ut bona divinitus concessâ gratâ mente agnoscamus, ita ut aliis his

ipsis beneficiamus. Quidam negant ea, quæ adsunt aliis nota & manifesta. Hoc iterum vel fit modestiæ causâ, vel tantùm, ut talis ob hanc dissimulationem laudetur, tanquam modestus, quamvis superbo præditus sit animo. Prioris exemplum est Socrates, qui quamvis Apollinis Oraculo sapientissimus judicaretur, noluit tamen de suâ sapientiâ multùm gloriari, sed solitus fuit dicere: *Se unum hoc scire, quod nihil sciat.* Ordinis posterioris exempla sunt Lacedæmonij in vili veste superbientes, Atheniensium reliquorumque Græcorum in vestitu munditiem contemnentes.

QUÆSTIONES.

Questio Prima.

Num deceat virum probum simulare
aut dissimulare?

1. §. Simulatio quædam est honesta, quædam turpis. Honestæ, cum fingimus aliquid esse, vel non esse, non animo nocendi, aut consequendi majorem, quàm par est, honorem vel quæstum, aut evitandi officia Deo & proximo debita, sed animo justè vel probandi, vel justè reprehendendi alios, si quid delinqvunt, vel declinandi impedimenta aut imminencia pericula, vel repræsentandi aliorum mores ad imitandum vel fugiendum propositos, vel reprimendi & superandi hostes, vel denique delectandi. Illicita, cum fingimus aliquid esse planè contrario modo & fine.

2. §. Priorem polè concedi probamus, quia viro bono licet occultare sua consilia secreta, Ironicè loqui, honestè joculari: Imperatori simulare majores vires, majores commeatus, quàm reverà habet, ut subditos tueatur: David necessitate urgente, simulatione usus est coram Rege Geth.

3. §. Illicitam verò seu turpem planè exterminamus, quòd viri boni sit candidè & sincerè agere. Qui simulant & dissimulant, fucatè & callidè agunt. Deinde, quia viri boni non est alios fallere & decipere. Nam hoc est à virtute recedere. Denique quia omnis hypocrisis, ex quâ simulare & dissimulare, tanquam effecta oriuntur, est mortale peccatum.

Questio

Questio Secunda.

Num mendacium officiosum & jocosum
verè dicantur mendacia, & pro-
inde peccatum?

De hac distinctione superius in explicationibus egimus. Per-
spicuitatis majoris gratiã pauca addimus. Negativam stabilimus,
quia eis non competit definitio, & omnia requisita mendacij pro-
priè dicti in explicationibus tradita. Igitur non ineleganter distin-
guitur inter mendacium propriè dictum, quale est perniciosum, &
impropriè, quale est officiosum & jocosum.

Questio Tertia.

Num quivis teneatur testimonium dicere
eorum, quæ à Judice interro-
gantur?

1. §. Audivimus, veritatem interdum prudenter dissimulari
posse, nimirum si lædatur gloria Dei, vel salus publica, vel propria,
vel proximi. Si verò ullum ex his læditur, veritas publicè negan-
da non est, multò minùs negatio æquivoco juramento confirman-
da. Igitur quivis in testimonium à judice vocatus tenetur de
omnibus, quæ scit, vidit & audivit, testari.

2. §. Argumentum primum desumitur à dilectione proximi,
cui secundum divina præcepta succurrendum. Si verò testimo-
nium perhibemus eorum, quæ scimus, audivimus & vidimus,
proximo, cujus fama & vita periclitantur, succurrimus. Ergò.
2. A turpitudine mendacij, quod committimus, si ad judicis inter-
rogationem negamus veritatem. Hoc autem est peccatum pro-
priè dictum. Ergò fugiendum. 3. Ab obedientiã Magistratui de-
bitã. Huic quia in omnibus, quæ non sunt contra Deum, paren-
dum. Ergò nemo publicè interrogatus ea, quæ novit, audivit &
vidit, debet occultare, 4. A divinã gloriã, quæ à veritate negante
læditur. Nam dum Judex decipitur, Deo, cujus vices Magistratus
in hãc terra sustinet, non tribuitur sua gloria.

Questio Quarta.

Num mendacium consistat non tantum
in verbis, sed etiam in factis?

Affirmamus. Nam non tantum verbis, sed etiam factis saepe significatur aliquid ex ingenij vanitate, & cordis pravitate descendens, quod in alterius perniciem vergit. Id experientia luculentis testimonijs corroborat. Ergo etiam factis committitur mendacium. Porro qualis ratio est in significando vero aut falso, talis etiam est actionum. Nam utrumque, hoc est, verba & actiones in hoc conveniunt, quod sint signa externa ad representandum id, quod est in mente & voluntate nostra. Signum autem tunc est verum, ubi cum signato congruit: falsum, si ab eodem discrepat. Jam in verbis, quae menti & rebus non respondent, committitur mendacium, praesupposito videlicet studio fallendi. Ergo etiam in actionibus nostris.

Questio Quinta.

Num iis, qui cum haereticis vivunt, liceat quandoque religionem suam dissimulare, non tantum abstinendo a verbis & factis illam significantibus, sed etiam usurpando simulate verba vel facta contrariam religionem significantia?

Occultare religionem non semper esse illicitum, supra fuit dictum: praesertim quando quis non solenniter a Magistratu, sed temerarie a privatis interrogatur. Falsam vero religionem ullo verbo aut facto simulare minimè licet. Probant id Theologi ex generalibus Apostoli interdictis, 2. Cor: 6, v. 14: Eph. 5, v. 11: & necessariam religionis confessionem, quam liberè confiteri deet quemcunque Christianum, secundum Christi effatum Matth. 10, v. 32: Pauli, Rom. 10, v. 9. Nos ex Hypocritis coeditate. Omnis dissimulatio in religione est hypocrisis, quae in conspectu Dei est detestabilis. Ergo in negotio religionis non est dissimulandum: (2) Mendacij

dacij gravitate. Nam omnis simulatio falsæ religionis est species mendacij. (3) Ex exemplo Eleazari 2. Maccab: 6, v. 21.

Questio Sexta.

Num viro bono liceat hypetbolicè, ironi-
cè & parabolicè loqui?

1. §. Affirmativa nititur testimoniis & exemplis gravissimorum autorum, tam sacròrum, quàm profanorum, in scriptis suis passim omnibus his dicendi generibus utentium. Imò ipse Christus & Prophetæ, ut Nathan 2. Sam. 12, v. 1. 2. parabolis usi sunt: Apologos S. Scripturæ esse admistos ostendit liber Jud. c. 9, v. 7. 2. Sam: 14, v. 5, 2. Reg: 14, v. 9.

2. §. Idem magna adstruit hujus orationis utilitas. Nam sic stupiditas ingenij humani sub alienâ personâ melius comprehendit, quid de se sit statuendum. Hâc ratione Prophetæ sæpe testes advocant bruta, elementa adversus homines immòrigeros & refractarios.

Questio Septima.

Num sit viri boni alios fallere?

1. §. Distinguiamus inter dolum bonum & malum. Bonus est, qui fit ex præscripto rectæ rationis, nullique nocet. Contrà malus fit contra rectæ rationis præscriptum, aliisque nocet.

2. §. Dolus bono viro conceditur, quia non adest mala intentio. Neque tam fallacia aut deceptio appellari debet, quàm quædam animi sagacitas cum civili prudentia conjuncta. Probat: 1. Quia viro bono licet simulare & dissimulare. Ergò etiam fallere. 2. Quia non pugnat cum dilectione proximi. Nam legitime usurpatur ad legitimam vitæ defensionem, aut proximi vel juvandi vel conservandi gratiâ. Talis dolus est cum viator latronem decipit simulando aliam viam, vel à regiâ viâ declinando, ne in latronum manus incidat: aut quando medicus ægrotum decipit sanitatis restituendæ gratiâ. 3. Quia stratagema in bello Imperatori conceditur, juxta illud Poëtæ:

— — *Dolus an virtus quis in hoste requirat.*

3. §. Malus verò à bono viro procul debet abesse, cum ad sit fallendi propositum. Etiam tunc, quando nobis res est cum hostibus,

stibus, quos vel ipse Deus, vel legitimus Magistratus tales declaravit, quia ad finem bonum & honestum bonis ac honestis contentendum est mediis.

Questio Octava.

Num aliquis mentiri possit, qui verum dicit?

1. §. Affirmatur, ut ut primâ fronte videatur esse ridicula, atque absurda. Ergò ut res detegatur, nota (1) *aliud esse vera loqui, aliud veraciter loqui.* Vera loquitur, qui dicit ea, quæ cum re consentiunt: Veraciter, qui, si non rebus consentaneum dicat, saltem ita loquitur, ut sentit. Itaque fieri potest, ut quis aliquid, quod est in se verum, falsum esse judicet, idq; animo fallendi. Ejusmodi verum dicendo mentitur, cum oratio menti non consentiat. Sic Arrianus seu Photinianus Christum appellat Deum. Hic sermo cum re consentit, adeoq; est vera locutio. Verum quia non credit, quod dicit, veraciter loqui non potest, ideoq; mentitur.

2. §. (2) Distinguendum est inter *verum & falsum Logicum & Ethicum.* Verum Logicum est rerum & verborum congruentia, nullo habito respectu ad proferentem. Ethicum est rerum & verborum congruentia cum respectu ad proferentem. Proferens si credit vera esse, quæ profert, verum Ethicum dicit; hæc enim non tam ad rem, quam ad animum pronunciantis, respicit.

3. §. Hinc fit, ut quis Ethicè verum dicat, & tamen Logicè mentiatur, & contra Logicè verum dicat, & tamen Ethicè mentiatur: v. g. si quis affirmet Antipodes esse, Logicè verum dicit, Ethicè mentitur, quando non credit Antipodes esse, sed id fallendi alios animo profert.

Questio Nona.

Num falsum quandoque dicat, qui se verum dicere putat?

1. §. Pyrrho Philosophus docuit, res esse tales, quales quisq; putaret. Hoc esse absurdum nemo non videt. Nam hinc sequeretur, naturam rerum ab hominum opinionibus dependere, & sic pro variis hominum phantasias res ipsas variis mutationib; esse obnoxias.

2. §. Ergò

2. §. Ergo quaesitum omnino venit adstruendum, cum fieri
queat, ut aliquis ex quodam errore pro vero venditet id, quod in se
falsum. Hic non peccat, quia intentio fallendi, quae ad menda-
cium requiritur, abest. Hinc multi multas falsas opiniones intro-
ducunt, quas cum veritate consentire judicant, & contra multi ve-
ras oppugnant sententias, quas falsas esse sibi persuaserunt.

Membrum Tertium

de

VRBANITATE.

Præcepta.

1. Urbanitas est virtus moralis, quae servat mediocri-
tatem circa jocos & ludos.
2. Ejus extrema sunt: Scurrilitas & Rusticitas.
3. Scurrilitas est vitium morale, quod peccat in excessu
circa jocos & ludos.
4. Rusticitas est vitium morale, quod peccat in de-
fectu circa jocos & ludos.

Explicationes

1. §. Ultima Homilicarum sequitur, nimirum Urbanitas. Vox
hæc ab urbe nomen accipit, quia in urbibus homines suavius con-
versari solent, adeoque magis morati, quam in pagis. Græcis di-
citur *εὐτραπέλεια*, hoc est, facilitas seu flexibilitas morum, à verbo
τρέπω, flecto, verto. Hinc *εὐτραπέλοι* sunt quasi *εὐτροποι*, hoc
est, tales, qui facile possunt suos mores, sermones & actiones
flectere, atque ad aliorum arbitrium accommodare.

2. §. Triplex hujus vocis acceptio reperitur: 1. Sumitur pro
instita quadam naturæ comitate seu humanitate. 2. pro morum
civilitate. 3. pro habitu morali, qui in ludis & jocos mediocritatem
observat.

3. §. Ejus Objectum est *Internum & Externum*. Internum est
cupiditas in jocando: Externum in congressibus joci, h. est, omnia
ea, quae animi recreandi gratiâ dicuntur, ut sunt jocosæ fabulatio-

C

nes,

nes, joci verbales, facetiæ in sermonibus, varia ludorum genera, & alia ludicra exercitia, quæ cum aliis animi gratiâ & temporis fallendi causâ suscipiuntur.

4. §. Officium Urbani consistit in jocandi dexteritate, hoc est, in dicendis & audiendis jocis. Urbanus enim ad alios exhilarandos, vel ipse jocos aptè proferre, vel aliorum audire, novit.

5. §. In jocis dicendis sequentia tenenda veniunt axiomata: I. *Joci non sint turpes, insulsi, sed honesti & utiles.* Duplex jocorum genus habetur: unum *perulans, flagitiosum atq; obscænum*, alterumque *elegans, urbanum & ingeniosum.* Quæ distinctio intellectu est facilis. Hominis Urbani est, ejusmodi proferre, qui neque offensionem, neq; turpitudinem sermonis, neque adversus eos, cum quibus jocamur, injuriam & convicia fovent. Scemmata enim & contumeliosa verba rationi adversantur, & legibus prohibentur: Joci verò, qui ingenuum decent, oblectant & erudiunt.

6. §. II. *Modus in jocando est tenendus.* Nam qui nimis jocantur, alijs astantibus molestiam creant. Ergò his utendum est, tanquam condimentis, quibus sermo fit suavior. Hinc vocantur Sales, quòd nostros, non secus ac sal cibum, sermones condiant.

7. §. III. *Habenda est diligenter ratio personarum.* Non enim omnes joci quemlibet decent. Alij conveniunt pueris atque adolescentibus, alij viris senioribus, alij Theologis &c. Ideo hîc est ætas consideranda, conditio & status, tam nostræ personæ, quam aliorum. Aliter enim jocandum cum doctis, aliter cum indoctis, aliter cum æqualibus, aliter cum iis, qui in magnâ sunt constituti autoritate. Itaque jocus Magistratus cum subditis, Præceptorum cum discipulis, parentum cum liberis, planè impertinens est, quia Urbanitas requirere solet æqualitatem ordinis, ætatis, sexus atque ingeniorum.

8. §. IV. *In jocando habenda est ratio loci & temporis.* Non enim semper & ubique jocandum: Ergò in locis, gravioribus negotiis, vel devotis meditationibus destinatis, vel alijs seriis actionibus, utpote in templo, curiâ, Collegiis, Coemiterijs, hæc, utcumque sese habeant, valeant.

§. 9. V. Non

9 §. *V. Non jocandum est coactè aut affectatè.* Omne enim, quod est affectatum, existit odiosum. Hinc joci extemporanei solent haberi optimi. Igitur qui ad jocandum non aptus, legat jucundas aliorum historias, easque in communi consuetudine enaret, ne instar lapidis aut trunci sedeat.

10 §. *VI Videndum, ne temerè in eos, à quibus non sumus provocati, jocemur.* Hoc enim est modestiæ, si ab alijs lacefsiti joci respondeamus, adeoque jocum joco compensemus, quàm si non invitati fuerimus.

11 §. *VII. Cavendum, ne inter jocandum temerè in alios dicteria spargamus.* Tunc enim res seria agitur, neque fit bono animo & fine, ut convivas exhilaremus, sed ut perstringamus, & despectui habeamus. Hinc veteres geminum fecerunt jocum, *Mercurij & Momi*: illum appellarunt lepidas facetias, quibus nemini nocemus; hunc dicteria, quibus alios mordicamus, ut sal nimis vehemens rodit & mordet. Non Momi, sed Mercurij locum obtinent in convivij, alijsque civilibus conversationibus, quia contra decorum est bonum virum alijs deridendum jocosè exponere, quia ejusmodi dicteria rixas concitant.

12 §. *VIII. Tales jocos proferamus, quales ab alijs audire cupimus.* Nam quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & qui, quæ vult, dicit, quæ non vult, audiat idem.

13 §. In audiendis audiamus, honestos, liberales, & qui conveniunt personis, locis & temporibus. Nam his arridere possumus, non verò turpibus, ne illos approbare videamur, sed potius ostendendum, nos ejusmodi offendi.

14 §. Circa extrema parum venit annotandum, cum ex præceptis & explicationibus satis intelligi queant. Scurræ vincuntur à rebus ridiculis, quibus ita sunt dediti, ut non possint sibimetipsis temperare, quin vel seipos, vel alios explodendos risu proponant, tantum ut alijs risum moveant. Peccant varijs modis, contra locum, dum in sacris jocantur, nemini que parcunt: semetipos, dum quævis patiuntur, modò risus alijs excitetur. Alterum genus in defectu peccans, quod appellamus Rusticum, planè ineptum est ad conversationem, quia neque jocos ad alios exhilarandos proferunt, neque aliorum ferre queunt.

QUÆSTIONES.

Quæstio Prima.

Num viro hono liceat dicere & audire
jocos?

1. §. Distingvimus inter jocos *moderatos* & *immoderatos*. Moderati fiunt ex rectæ rationis præscripto, ubi, quando, apud quos, quantum, quomodo, & cujus gratiâ deceat. Contrarium in immoderatis. Ad moderatos pertinent liberales, honesti, venusti, lepidi &c. ad immoderatos illiberales & illiciti.

2. §. Moderatos & dicendos & audiendos esse sequentia monstrant: 1. Vir bonus non semper rebus serijs, quibus vires franguntur, intentus esse potest. Ideò post labores requies quædam à natura postulatur, ut animus iterum recreetur, vires corporis reficiantur, & homo ad labores novos alacrior redeat. Quam ob causam Deus non solum Sabbathum concessit populo Israëlitico, sed etiam Magistratus in benè constitutis Rebus pub: subditis suis permittit ludos, spectacula, solennia festa, ut his à curis & laboribus non nihil relaxentur. 2. Quia viro bono licitum est, esse urbanum Ergò etiam audire & dicere jocos. 3. Quia efficiunt conversationem hominum concinnam, aptam & jucundam.

3. §. Ab immoderatis viro bono abstinendum, cum famæ atq; existimationi multum detrahant, cum in his occurrant maledicta, cum omnis occasio alios offendendi sit fugienda.

Quæstio Secunda.

Num in ludis & jocis consistat aliqua
virtus?

1. §. Affirmatur. Nam ludi & joci liberales cum honestate & gravitate conjuncti ad politicam societatem tuendam necessarij sunt, cum per eos non saltem amorem & benevolentiam aliorum nobis conciliemus, sed etiam corpus nostrum quotidianis curis & haurum reficiamus. Hinc Cicero monet, ita vivendum, ut non solum negotij, sed etiam otij rationem reddere possimus. Quicquid autem ad politicam societatem tuendam est necessarium, in eo virtus locum habet. Primarius enim virtutis usus est, homi-
nes

nes conjungere, & unam aliquam politiam ex pluribus consti-
tuere.

2. §. Alterum testimonium offerunt duo hujus virtutis extrema.
Reperiuntur enim, qui nimium jocis sunt dediti, & qui nimium illis
resistunt. Ubi autem datur excessus & defectus, ibi quoque datur
medium. Hac enim sunt correlativa, quorum natura est, ut uno
posito, alterum quoque ponatur.

Questio Tertia.

Num objiciendo vitia nationum quis
jocari queat?

Negamus. Nam 1. Cui quis objicit vitia nationum, oblique
famæ ejus illudit. Alienæ autem famæ insidias struere, virum bo-
num non decet, siue directe, siue indirecte fiat. 2. Hic levitatis opti-
mè accusatur, qui incogitanter ob unam personam totam natio-
nem ludibrio exponit. 3. Quia dissensiones, odia, jurgia, vulnera
inde oriuntur. Ergò tutissimum est, ejusmodi jocos penitus evi-
tare.

Questio Quarta.

Cum ludi scenici, quales sunt Comœdiæ
& Tragoediæ, in benè constituta
Republ. sint ferendi?

1. §. Digna est hæc quæstio diligente tum explicatione, tum ven-
tilatione. Agentes in actionibus theatralibus tria diligenter obser-
vanda requirunt: 1. Finem ludorum scenicorum. 2. Materiam.
3. Personas agentes. Laudabiles ergò illi ludi, quibus honestus finis
est propositus, si ita instituuntur, ne lædatur Dei gloria, vera reli-
gio ludificetur, proximo scandalum & detrimentum detur: sed ut
præter jucunditatem insignem tum spectantibus, tum agentibus af-
ferant utilitatem. Laudabiles sunt, quorum thema est bellicum, aut
si sit profanum, honestum. Laudabiles sunt, in quibus personæ ab
omni levitate, vanitate, scurrilitate, obscenitate aliisque vitijs absti-
nent. His qui carent requisitis, dicuntur vituperabiles, optimè ex
natura laudabilium addiscendi, quia contraria sese invicem illu-
strant.

25. Priores esse ferendos his rationibus probamus: 1. Quia magnam verborum & rerum selectissimarum suppellectilem suppeditant. Nam omnia verba elegantiora, & res auditu & visu gratiores in istis ludis exhibentur. 2. Memoriam, pulchrum omnium rerum thesaurum, excolunt, mirificeque confirmant, cum in his per auditum & visum res humanæ menti imprimantur. 3. Timidis animum & loquendi libertatem addunt. Nam ex hoc crebro usu, tanquam optimo rerum Magistro, habitum coram quovis dicendi & agendi perfectum acquirere possunt. 4. Linguam expeditum gignunt, aliaque sermonis vitia & mores corrigunt. 5. Historias & res præclare gestas, scitu dignas & necessarias in memoriam revocant. 6. Magnam animi recreationem afferunt. 7. Exempla communium hujus miseræ vitæ casuum proponunt, quibus admoniti de rebus humanis prudentius judicemus: ad virtutis studium, & vitiorum fugam calcar suggerunt. Huc usque affirmantes.

§. 3. Ponderis non minoris sunt negantium rationes, quarum quatuor: 1. Quia usus horum ludorum verbo Dei expressè repugnat, cum in his plerumque vir muliebri veste utatur, & mulier virili. Hæc autem vestium permutatio est Deo abominabilis Deut. 22, v. 5. 2. Actiones harum Comoediarum plerumque sunt conjunctæ cum magno juventutis detrimento & offendiculo, cum depravatione gestuum & morum, cum intemperantiâ & superbiâ, non raro cum læsione vitæ & famæ, plurimisque alijs in commodis. 3. Sæpe nomen Dei in vanum assumitur. 4. Ethnicismum redolet, ejusmodi in Republ. ludos permittere. Nam Ethnici in Comoedijs & Tragedijs publicæ & privatæ vitæ speculum exhibere solebant. Christianis autem sunt sacra Biblia ad quæ, tanquam ad normam suos mores conforment, & inde vitam corrigant.

4. §. Ad hujus partis argumenta qui respondent, sæpissimè inter Usus & Abusum distinguunt. Quæ medela, quamvis sat bona, dubitamus tamen, num hic satisfaciat. Ponamus, horum ludorum magnum esse usum in Republ. concedamus, juventutis informationi prodesse, sed quæremus, an non sit consultius rem, cujus usus abusum excedit, è Republ. planè tollere quàm ob aliqualem usum tolerare. Imprimis, quando iidem fructus, ut negantium argumenta volunt, aliunde restitui queunt. Abusum autem horum ludorum esse maximum qui vis cordatus fatebitur. Sanè hodierni, ut ita loquar

loquar, histriones, quibus passim licentia ludendi permissa, pessimi & pigri homines, aliisque scandalo sunt. De his te non loqui dices, sed scholasticis & civibus. Ut ut sit, ansa tamen ad alia peccata, quorum in secundo argumento partis negantis fit mentio, committenda præbetur. Omnem autem & minimam peccandi occasionem esse vitandam, nobis naturam ad malitiam pronis, Theologia & Philologia docent. Nec defunt scholis & Gymnasiis meliora exercitia, ut sunt: Declamationes, orationes, aliaque colloquia, quæ majori cum discipulorum fructu substitui possunt. Unico verbo: Tam laudabiles, ut affirmantes eos depingunt in Idea, nigro Cygno sunt rariores. Cæterum cuique hinc liberum judicandi de his rebus permittimus iudicium.

Questio Quinta.

An larvarum usus sit concessus?

1. §. Nulla res est tam absurda, tritus est sermo, in schola Philosophorum, quæ non defensorem inveniat. Idem ad hoc detestandum factum & pessimum quæsitum applicatur, cum non desint in medio Christianismo, qui hoc, non dicam, defendant, sed ipso actu exequantur. Agedum, dic mihi, quid ante aliquot annos in totâ Misniâ fuerit frequentius? Urbes initium faciebant: Oppida sequebantur: Castella & pagi imitati, imò æmulati tantâ cum rabie & vesaniâ, ut jurasses, Bachum cum suis Bachidibus adfuisse.

2. §. Nonne vos pudeat Christianos hujus rei, origo cum Ethnicismo debeatur. Nam Diabolus infensissimus generis humani hostis, omnium mendacij & figmenti Pater, qui sub serpentis larvâ Protoplastos & Saulum sub Samuelis formâ decepit, Ægyptios hanc malam Metamorphosin docuit: ex Ægypto ejusdem adminiculo in Græciam fuit deducta: ex Græciâ in Hetruriam, ex Hetruriâ Romanam & inde ad nos Germanos. Pœniteat vos hujus pessimi facti. Nam hoc ipso majorum peccata cumulastis, quia verbum Dei fultis aspernati, Diabolum, larvarum parentem, secuti, opus creatoris reformastis, scandalum junioribus præbuitis, multas nequitias sub larvis contra honestatem & bonos mores perpetrastis &c. Fine licito caruistis. Non enim ob honestatem, aut proximi utilitatem, sed petulantiam ex ingenij levitate larvas usurpastis. Quid mirum, quod poenarum horribilitas fuerit secuta? Olim punivit, Teste Tertulliano, Deus hoc peccatum in muliere quâdam, quæ cum hæc spectacula

cula adiisset, redijt cum Dæmone. Hic objurgatus in exorcismo, cur fidelem aggredi fuisset ausus, respondit: quia in meo eam inveni. Alia omittam. Jam punit nostram patriam bello, fame & peste, tandemque, si non pœnitentiam egerimus, divini verbi spoliatione.

Questio Sexta.

**Num Principibus & Magnatibus expediat
habere Moriones?**

1. §. Equidem miror, ait Lampridius libro de gestis Romanorum, vel indignor potius, non tam, quòd tantum possunt apud illustres viros sanniones & fatui, quàm quòd tam parùm possunt, & tam parvi æstimantur prudentes & sapientes. Indignissimum n. est, in aulis Principum fatuos vel in cubiculum usq;: Sapientes v. vix inatrium admitti, ut alteri nulla claudatur, alteri nulla aperiatur janua.

2. §. Fridericus III. Imperator interrogantibus, num moriones in aulam intromittendi essent, respondit: Neq; stultis delectari possum, neq; superbis esse amicus. Hoc dictum, inquit Aeneas Sylvius, Friderici non intelligunt hodie Principes, qui hâc hominum fecerunt ita delectantur, ut omnes aulae stultorum & morionum sint plenæ. Alphonfus, Arrogonum Rex, referente Pontano de liberalitate, hujusmodi homines rimosis cisternis similes esse dixit, quam ut nullus impleret imber, sic hos nulli, quamvis magni, proventus exsatiarent.

3. §. His accedunt rationes negativam suadentes: 1. quia imagine, ad quam & moriones conditi, abuti non licet. 2. Nefas est morbis vel pœnis, ob peccatum nobis ^{immitis} infligatis, oblectare. Fatuitas morionum est morbus, i. e. pœna ob peccatum generi humano immissa. Ergò. 3. Morionibus istis, ceu naturæ ludibrijs occulta quædam malitia innata est quam irritari non sine Principum aliorumq; periculo produnt. Natura ergò, quia notavit, eo ipso monuit, hos esse cavendos.

Questio Septima.

Num in conviviiis sit disputandum?

Negamus. Nam disputationibus & poculis animus hominis diverso disponitur modo. Ergò simul stare nequeunt. Minor patet, quia hæc seria colloquia animum attentum, pocula hilarem, requirunt. 2. In congressibus τὸ πρῆπον non observant, ordinem turbant, quia seria cum jocosis confundunt. 3. Harum effectus malus atq; illicitus est. Vir enim doctus inter pocula suam eruditionem quandoq; suspectam reddere potest, dum ad argumenta quædam vel tacet, vel minùs solide respondet.

05 A 2290

ULB Halle
003 783 502


3



VDA

64





Ex Ethicâ
de
Virtutibus Homiliticis,
Duce Deo & Preside
M. MICHAELE WENDELERO,
Facult. Philos. Adjuncto,
JODOCUS VVILLICHIUS
Prettinensis Saxo
publicè disputabit
ad diem 24. Novemb horis antemeridianis
In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.
Anno M DC XXXVIII.